



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

12. Vberius declaratur superbiae radix, quae in virtutibus Phylosophicis ac
Romanis latuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13673

cupiditates cetera cesserint, easq; velut laudabilis hanc unam oblectando compresserit. Et alibi docet, superari vitia aperissima vitis quibusdā occultis, qua putantur esse virtutes: in quibus regnat superbia, & quaedam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque vitis vitia deputanda sunt cum Dei amore vincuntur &c. Quibus verbis superbas illas Philosophorum virtutes digito ostendit. Hoc ergo proprium Philosophicæ virtutis, quando erat etiam defæcatissima, fuit malum, quod virtutis quædam celsitudine ruinosa delectati, illam ideo expeterent, ut in oculis suis excellerent, sese oblectarent, sibi placerent, qui per illam Deo, seu, ut Augustinus loquitur, veritati placere velle debuissent. Quod sibi placendi malum ita arctè adhaeret ijs, qui neque Deo neque hominibus per virtutem suam placere desiderant, ut fieri omninò non possit, quin in illud incidant, ut paulò post dicturi sumus. Vnde Augustinus in illis omnibus tribus paulò ante citatis locis, amorem Dei inculcat, tanquam per quem soli Deo placendo vitium illud superbiæ, quo quis sibi depulchritudinè virtutis veluti defæcata placet, evitari potest. Vnde alibi: *Ut non superbiat, in virtutibus proficiendo, quid debet facere? Levet oculos suos ad illum, qui habitat in celo. Non se attendat. Omnis enim superbus se attendit, & magnus sibi videtur, qui sibi placet. Sed qui sibi placet, stulto homini placeat; quia ipse stultus est, qui sibi placet. Solus securus placet, qui Deo placet.* Quapropter qui non levat oculos suos ad illum, ut ei de pulchritudine virtutis placeat, sed ipsam unicè velut finem boni, pulcherrimam celsissimamque miratur, impossibile est ut eam vel appetens non inde sibi placeat, vel non inde sibi placere volens appetat. Cùm enim necessarium omninò sit, ut aliquà re mens humana delectetur, quo, quæso, alio oblectari potest mens aliena à Deo, ceterasque vitiores contemnens creaturas, ut supponimus, quàm illo quod in rebus creatis præstantissimum credit? Hoc est autem mens ipsa virtute jam decorata quem sui ipsius ornatum omnium pulcherrimè arbitratur. Sibi ipsi-ipsi ergo necessariò de virtute placet, qui per eam Deo vel alijs hominibus placere non cupit. Cujus rei radicem subtilissimè, solidissimèque detexit Augustinus adversus Iulianum: *Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita natu-*

A rarum, rationali mente præstantius. Vnde sic consequens, ut mens bona, id est, virtute prædita magis sibi placeat, magisq; seipsa delectet, quàm qualibet alia creatura. Ecce nihil omninò magis delectat mentem, quæ sibi videtur esse virtuosa, nihil magis placet quàm, mens bona ipsa sibi: ut fieri omninò non possit, quin sibi placeat, quando per eas Deo præstantiori quem nescit, placere non cupit. Sed audi, quàm perniciose inflataque sit hujusmodi sui ipsius in virtute complacentia: *Quam verò periculosè, imò perniciosè sibi placet, cum per hoc sumescit typho, & morbo inflationis extollitur, quando non videt, sicut videbit in fine, summum illud & immutabile bonum, in cuius comparatione se spernat, sibiq; illius charitate vilescit, tantoq; spiritu eius impleatur, ut id sibi non ratione sola, sed æterno quoque amore preponat, multum est disputando velle monstrare. Sapit hæc qui fatigatus fame revertitur ad semetipsum, & dicit: Surgam, & ibo ad Patrem meum. Nam solà illà reversione ad Patrem, illà levatione oculorum in celum, illà voluntate placendi per virtutem veritati, illo, inquam, amore Dei velut unico, sincerissimo, verissimoque fine virtutis, evitari potest, ne virtus non modò Gentilium Philosophicæ, sed & Christiana sibi ipsi superbiendo placeat, & vitium, quæ virtus esse putabatur, fiat. Nam quod sibi placere vitiosum sit, non opus esse puto probare Christianis, qui Apostolum Paulum audiunt commentem: *Debemus autem non nobis placere: & Petrum graviter culpantem, audaces sibi placentes: & Augustinum utriusque quasi interpretem: Etiam intus est aliud in eodem genere (vanæ gloriæ) tentationis malum, quo inanescent qui placent sibi de se, quamvis alijs vel placeant, vel displiceant, nec placere affectent ceteris. Sed sibi placentes multum tibi displicent.* Et quia difficillimum rarissimèque est, ut qui sibi virtutis decus appetendo aut possidendo placet, non etiam per illam alijs placere, hoc est, ab ijs amari, laudari, glorificari velit: hinc est quod rectissimè Augustinus generatim de Romanorum virtutibus docuit, eas fuisse laudis, honoris, gloriæque humanæ intentione vitiatas; quam vel ab alijs hominibus venati sunt, vel certè à seipsis, (nam & ipsi utique homines sunt) quibus virtute suâ placere voluerunt.*

7^o Ps. 121

Lib. 4. contra Iul. c. 3.

C A P V T X I I.

Uberius declaratur superbiæ radix, quæ in virtutibus Philosophicis ac Romanis latuit.

SED quia nonnulli Scholastici doctrinam Augustini & Prosperii, qua talem voluntatem appetendæ virtutis superbam esse tradunt, simpliciter intellectam inde tradunt, credibilem esse dicunt, & ab Augustini mente alienam.

Suarez l. 2. de grat. c. 7. sum. 11.

A nam, res ista paulo uberius & ratione & Augustini auctoritate declaranda est. Quod ut liquidius intelligatur, certissimo Christianæ religionis principio insistendum est, quo docemur, creaturâ seu re creatâ frui esse vitiosum,

sum, & incommutabilis æternæque legis auctoritate damnatum. Iuxta cuius immobilis veritatis regulam dixit Augustinus id quod omnium ore laudatur, et si non omnium mente capiatur: *Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendus uti velle, atque utendis frui. Et rursus: Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.* Res autem quibus fruendum est, non esse nisi Deum; & quibus utendum, non nisi creaturam, ex eodem Augustino, & Christianæ religionis fide manifestum est. Nam illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt; istæ quippe per se diliguntur, cum hoc sit frui, amore alienæ rei inhære propter seipsum: Quod autem per se diligendum est, in eo constituitur vita beata, & possidentes beatos nos facit. Qua de re consulenda quæ superius fuscè diximus. Hinc est quod omnes Philosophi certatim id, quod quisque velut finem boni appetendum sensit, sive voluptatem ut Epicurus & Aristippus; sive doloris vacuitatem, ut Hieronymus; sive primam naturæ, ut Carneades; sive honestatem, ut Stoici; sive honestatem simul cum voluptate, ut Divomachus, Calliphon, Iulianus; sive cum doloris vacuitate, ut Diodorus; sive simul cum primis naturæ, ut antiqui quos Academicos & Peripateticos nominabant, omnes, inquam, illud & per se diligendum & fruendum docuere, & ejus appetitione beatitudinem inchoari, adæptione compleri. Nec aliter eos etiam errantes veritas ipsa sentire permittit. Cum enim in rerum usu non possit esse sita beatitudo, quia finis voluntatis usus esse non potest: necesse est, ut in eo quod per se diligitur, cui propter se inhæremus, quo frui volumus, constituatur. Hoc enim est finis, quod quisque omnia utenda, omniaque vitæ officia referenda esse statuebat.

Hoc igitur constituto, sicut nemo sanæ fidei Christianus negare potest, omnes istos cuiuscunque opinionis Philosophos graviter in isto sine omnium officiorum atque appetendorum, sibi præstituto aberrasse; ita negari non potest, in eo appetendo, per se diligendo, fruendoque peccasse. Creaturam enim qualemcunque & quantamcunque suorum appetitum & actionum finem expetere, inde beatum velle fieri, illâ frui, prima vitæ humanæ perturbatio & perversio est: quæ ut non sit mala, nec Deus ipse efficere potest. Est enim contra legem æternam omnis peccati & rectæ facti normam immutabilem, quæ jubet ut omnia sint ordinatissima, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.

Hinc ergo nascitur, ut, sicut omnis creature dilectio seu fructio vitiosa est, ita & pro creaturarum quantumvis bonarum atque licitarum diversitate diversa vitia ex earum dilectione & fructione proficiantur. Nam inde fit, quod amor pecuniæ quantumlibet necessariæ sit avaritia; amor cupidiarum, gula; amor voluptatum carnalium, libido; amor pulchrorum corporum lascivia; amor vindicandi, ira; amor sciendi, curiosi-

tas; amor honoris ambitio; amor laudis & gloriæ, inanitas; amor excellendi, superbia; amor dominandi & regendi, vitium innominatum, quod in Tyrannorum animis prævalet, & infinita similia. Res istæ omnes, quæ per ista vitia diliguntur, bonæ sunt. Quis enim neget pecuniam, divitias, cibos, voluptatem sensuum, corpora pulchra, vindictam, præfecturam, scientiam, honorem, laudem, gloriam, excellentiam, dominationes esse bonas in ordine creaturæ? Sed creaturas bonas amare non est bonum. Hoc enim hic amare dicimus, quod est eis propter se ad fruendum inhære, sicut omnes istis morum labibus vitiosi creaturis illis dilectione colligati frui volunt, ideoque vitiosi sunt. Sicut ergo in omnium ceterarum creaturarum mansoria dilectione aliquod vitium est, quamvis plurima nominibus careant; ita & in fruendis ipsis virtutibus vitium est, quod Augustinus non aliud nisi superbiam esse docet. Nec enim aliud habet virtus nisi ipsam illam supremam creaturæ rationalis excellentiâ, propter quam à Philosophis appeteretur, diligeretur, ad sui fructum animos eorum pelliceret, menti placeret, & mens ipsa sibi. Huic autem excellentiæ propter illam excellentiam inhære, nec est, nec esse potest aliud vitium quàm superbia. Nam inde & non alio ex fonte nascitur, quod virtute non tantum Philosophicâ, sed etiam Christianâ gloriari, hoc est, illius excellentiæ animum oblectare, illi perfrui, in illa sibi placere, perfecta superbia sit. Non enim oritur illud vitium ex eo, quod homo in rebus malis sibi placeat; sed potissimum quod in bonis, eoque pronius, quo fuerint excellentiores.

Neque verò virtutibus tantum, sed quacunque creata rerum optimarum gaudere præcellentia, sive divitiarum, sive potestatum, sive scientiarum, sive honorum, sive nobilitatis, sive alterius cuiuscunque creaturæ, si animus illius pascatur excellentiâ, & in ea appetenda conquiescat, quantumvis sub alijs rationibus etiam bonis considerata alterius rationis gignant vitia, ruinosa illius superbiæ labe non caret. Manifestum est enim in illis omnibus amorem excellentiæ dominari: *Amor autem excellentiæ superbia vocatur, inquit Augustinus.*

Ex hac autem ipsa appetendæ virtutis consideratione alia ratio superbiæ proficiunt. Stoici enim & quotquot virtutis officia propter ipsam eorum honestatem appetendâ pulchritudinemque sentiebant, rationem humanam, cui hoc maxime consentaneum esse iudicabant veluti Dominam & Reginam omnium præcellere volebant, cui veluti supremum tenenti principatum super ceteras animæ partes cuncta servirent. Hinc enim toties crepant, officia virtutis esse honesta & expetenda, quia rectæ rationi consentanea sunt. In hoc autem ipso appetendi virtutis modo superbia perfecta latet. Cum enim in ista inconvenientia cum ratione duo reperiantur extre-

ma, officium virtutis quod est consentaneum, & ipsa ratio cui consentaneum est, extremum terminans Philosophorum appetitum est ipsa ratio, quatenus Domina, & Imperatrix, & extrema norma vitæ bonæ. Quo fit ut quisquis ita virtutem appetit, rationem suam veluti principantem adoret, illi serviat, illam colat, omniaque prosequatur & fugiat, quia suis veluti decretis & oraculis consentit aut dissentit: quod sine dubitatione superbia, cultus, honor, & complacentia sui ipsius est. Sicut enim cultus, honorque Regis est non postremus, quodlibet imperatum facere quia ipse jubet, ipsi visum est, ipsius voluntati rationique consentit: ita profectò perfectissima sui ipsius complacentia, sui que cultus est, veluti Reginæ dominantis, præseribentis, decernentis, jubentis, & vetantis, cum ratio quippiam appetit aut fugit, quia sibi consonum est aut dissonum. Vnde vox illa Ciceronis stoicè philosophantis: *Præsid est Domina omnium & Regina ratio, qua commixta per se, & progressa longius fit perfecta virtus: hac ut imperet illi parti animi, qua obedire debet, id videndum est viro.*

Sed advertere debebat illa Domina omnium & Regina ratio, se non cernere quid imperandum, quid vetandum, quid faciendum, quid omittendum sit, nisi in æternis & incommutabilibus regulis æternæ veritatis: quas cum attingit, ejus luce perfunditur; cum non attingit, in tenebris suis manet, nihil cernens volutansque secum nisi inania & falsa phantasmata sua. Proinde siquid in humanis dictis atque factis faciendum aut omittendum videt, propterea faciendum vel omittendum est, quia veritas ipsa incommutabilis, cujus lucis impressio rationem rectam facit, sic dicitur, sic jubet, sic vetat. Etenim ratio non est, aut esse debet nisi ancilla primæ veritatis, quæ excipiat lucem ejus, ut præluceat voluntati. Cum verò se ipsa velut supremam regulam sequi cupit, loco ancillæ se Dominam ac Reginam facit, imperium præripiens æternæ veritati, à qua ipsi, ut omnium creatrice naturarum, & rectrice rationum, omnis vera cognitio & iussio affluit: sed iussio vicaria, non principalis, instar præconis declarantis, non principis Reginæque dominantis: *Nam mente, ut Augustinus, non est superior, cui subdita regenda est, nisi Deus.* In hoc igitur Philosophorum perversitas fuit, quod cum Epicurum rectè reprehenderent, eo quod virtutes faceret voluptatis ancillulas, quibus instar lascivæ delicatæque Domina imperaret, ipsi principatum istum humanæ rationi traderent: quæ omnibus suo arbitratu præsidens, omnem virtutem velut summum bonum, & consequenter omnem felicitatem ex se peteret, sibi daret, se adoraret & coleret, ipsa serviret nemini, nullius imperio subjaceret. Quod quantæ sit superbiæ & fastus, nemo pestis illius occultissimæ peritus non videt. Cernit enim non minus esse perversum, ut officia vitæ bonæ seu virtutes voluptati serviant, quod Epicuri malum fuit; quam ut humanæ laudi, honori

A & gloriæ, sive ab alijs, sive à seipsis expetenda, quod Romanorum; vel sibi ipsis Reginæque rationi, quod Stoicorum; vel simul primis naturæ, quod Peripateticorum. Sed illa lex imperturbabilis, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari verat, hoc præseribit & jubet, ut ille qui solus & verus est omnium Dominus omnibus imperet, sicut rebus ceteris, ita & virtutibus humanæque rationi; utraque vero æternæ veritati atque sapientiæ serviant imperanti. Quod profundissime vidit, plenissimeque expressit Augustinus, quando dixit: *Abstine ut virtutes vera tibi, cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum cui dicimus: Deus virtutum converte nos.* Ex qua sanctissima regula superbas sive Peripateticorum, sive Stoicorum, sive quorumcumque virtutes damnans: *Sanctorum Martyrum non magna solium, sed etiam pia virtus. Ipsa enim est utilis virtus, imo ipsa est vera & sola dicenda virtus, qua non militat typho, sed Deo.* Et Philosophorum omnium in tres generales classes redactorum virtutes ex eadem regula Christiana jugulans: *Proinde, inquit, virtutes, quæ carnalibus delicatioribus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, verae profus esse non possunt: quæ autem nulli rei servire volunt, cujusmodi sunt virtutes Peripateticorum atque Stoicorum, nec ipsa vera sunt. Verae quippe virtutes Deo serviunt in omnibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in Angelis à quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni sit ab homine, & non propter hoc sit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, est officio videtur bonum, ipso non recto sine peccatum est.*

Ex his jam facile elucet alia ratio superbiæ Peripateticorum atque Stoicorum in appetenda virtute propter virtutem. Nam hoc ipso quo virtutem animi sui, seu, uti Tullius loquitur, Domina omnium ac Reginæ rationis finem boni statuerunt, animo quoque suo veluti omnis beatitudinis atque felicitatis fonte voluerunt frui. Illa quippe ipsissima natura est finis boni, seu illius, quod velut omnium officiorum finis appetitur quod propter se diligitur, quod non aliò referendum constituitur cui propter se inhæretur; ut eo frui, eoque beati fieri velimus: sicut omnium Philosophorum contestatione certissimum est. Nam idcirco Epicuræi fruitionem atque beatitudinem in voluptate, alij in quiete, alij in doloris vacuitate, alij in primis naturæ posuerunt quia illa propter se velut finem boni appetenda, illis propter se inhærendum, ad illa omnia vitæ officia referenda sive sola, sive cum alijs juncta, censuerunt. Omnes igitur illi tanquam repentes humi corpore suo fruendum, & è corpore felicitatem aucupandam esse judicarunt. Quod etsi aliqua ex parte puderet Peripateticos, & ex toto Stoicos; cum tamen in animo seu mente, velut Reginam omnium finem boni collocaverint, infra utique posuerunt, quam ubi sincerissima ratione ponendum est. Animo quippe suo & ejus bonis, sicut Epicurus corpore, gaudendum fruendumque senserunt, & ex eo petendam beatitudinem.

Lib. 2. 99.
Tulius.

Lib. 15. de
Civitate.

Phil. de
Epicur
et Stoic.

Rom. 7. de
vitijs
cap. 7.

ibid.

Phil. 16.
Eph. 119.
cap. 10.

1 Rom. 11.
2 Rom. 12.
3 1 Cor. 7.
4 1 Cor. 19. de
Civitate c. 25.

beatitudinem. Unde Augustinus, cum nihil in ipso homine esse careret, nisi corpus & animam, unde beatitudo à Philosophis petita fuerit vel posset peti, in Epicureis & Stoicis veluti duobus omnium Philosophorum extremis omnes compellans. Quid dicitis, inquit, Epicurei, quæ res facit beatam vitam? Respondent: voluptas corporis. Quid dicitis Stoici, quæ res facit vitam beatam? Respondent: virtus animi &c. Quæritur ad hominem peruenire, si ab illo est vita beata, nihil restat præter corpus & animam. Aut corpus est causa beata vite, aut anima est causa beata vite: si plures queris, ab homine recedas. Et in sermone de verbis Apostoli. Fuerunt philosophi seculi huius, alij parauerunt non esse beatitudinem nisi secundum carnem vivere, & bonum hominis in voluptate corporis posuerunt. Isti philosophi Epicurei dicti sunt &c. Existerunt autem alij superbi, quasi à carne se removissent, & totam spem beatitudinis sue in anima sua constituerunt, posuerunt summam bonum in virtute sua. Tales fuerunt philosophi, qui Stoici nuncupati sunt: illi secundum carnem viuentes; isti secundum animam viuentes: nec isti, nec illi secundum Deum viuentes. Et inferius: Dicebat Epicurus: Mihi frui carne bonum est. Dicebat Stoicus: Mihi frui meâ mente bonum est. Dicebat autem Apostolus: Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Dicebat Epicurus: Beatus, cuius est in fructu voluptas carnis eius. Dicebat Stoicus: Imò beatus, cuius est in fructu virtus animi eius. Dicebat Apostolus: Beatus cuius nomen Domini spes eius. Iam verò dubitari non potest, quin quemadmodum animus carnalisissimus est, porcotamque verius quam hominum, qui corpore suo, & ejus voluptatibus frui cupit: ita superbissimus sit, qui seipso, & suâ virtute velut boni fine, & felicitatis fonte, vel ejus parte gaudere cupit. Nam ut rectissime Augustinus de talibus Philosophis Peripateticis atque Stoicis loquens: Cum seipso sibi quasi suo bono animis gaudet, superbus est. Nec rationem alibi tacet: Cum ergo anima in seipsa delectatur, nondum se incommutabili delectatur, & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus. Ideoque paulò ante & passim a superbo appellat Stoicos; & eorum superbas inflatasque virtutes, superbumque conatum fabricandi sibi beatitudinem, dum virtutem propter seipsam expe-

tendo, ratio seipsa suâque virtute fruitur. Quam beatitudinem isti philosophi quoniam non vident, non volunt credere, hic sibi conantur falsissimam fabricare, quanto superbior, tanto mendacior virtute. Propter hanc igitur superbiam Philosophorum honestiorum, qui virtutem propter se expetentes, & virtute suâ frui cupierunt, docet idem Augustinus, non tantum Epicureos, qui virtutis officia ad carnis oblectamenta retulerunt, sed etiam Stoicos vixisse secundum carnem, quantumcumque à carne recessisse viderentur. Nam de utriusque loquens: Sicut, inquit, loquitur Scriptura divina, secundum carnem vivere utriusque monstrantur. Secundum carnem autem vivere, juxta veracissimè Scripturæ & Augustini sensum & phrasim, non est iteriter bene, sed culpabiliter male vivere. Secundum carnem vivere, inquit ibidem Augustinus, profecto malum est, cum ipsa carnis natura non sit malum. Et Apostolus ei attestatur: Si secundum carnem vixeris, morieris. Et: Prudentia carnis, qualis omnium Philosophorum & secundum carnem viventium fuit, mors est. Quamobrem Augustinus, cum recenset conversionem suâ Philosophorum phrasim dixisset in libris adversus Academicos, nihil aliud esse beatè vivere, nisi secundum id quod in homine optimum est vivere, hoc est, ut explicuerat, secundum mentem atque rationem, sicut hoc apud Stoicos Peripateticosque celeberrimum est, jam proreclior in Christiana doctrina id retractavit. Quamquam, inquit, appetit ad hominis naturam, nihil est in eo melius quam mens & ratio: sed non secundum ipsam debet vivere, qui beatè vult vivere: alioquin secundum hominem vivit, cum secundum Deum vivendum sit, ut possit ad beatitudinem pervenire: propter quam consequendam non seipsa debet esse contenta, sed Deo vivens nostra subdenda est. Secundum hominem autem vivere prorsus idem est Augustino, quod secundum carnem vivere, & male vivere, sicut utrumque ex decimo quarto de Civitate liquet: ubi in istis Apostolicis phrasibus, quibus nos vetat secundum carnem vivere, & inter opera carnis maxime quoque spiritualia, uti hæreses & animositates enumerat, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi.

Ibid. c. 4.

Lib. 14. de
Civitate c. 2.

lib. 1. 2.

Rom. 8.

Lib. 1. contra
Acad. cap. 2.

lib. 1. de
tract. c. 1.

Lib. 14. de
Civitate c. 2.

CAPVT XIII.

Declaratur amplius, officium virtutis ut bonum sit non posse esse finem virtutis, nonnulla objectiuncula solvuntur.

Super supra
c. 11. civitas.

QUæ quidem si rectè intellecta fuerint, desinet mirari recentiorum quidam Augustini doctrinam tanquam incredibilem, qua docuit, virtutes cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expectantur, inflatas ac superbas esse: sed potius doctrinæ profunditatem, soliditatem, constantiamque mirabitur. Nititur enim fundamentis Christianæ religionis immobilibus, per quorundam Christianorum Philosophiam labefactis,

de ultimo boni fine, de officijs vitæ omnibus in eum retorquendis, de mansoria dilectione creatoris, ac transitoria creaturæ, de fruendo solo Deo, utendisque creaturis. Nihil hic juvat, commodi nempe quæ intenditur esse naturæ convenientem, per rectam rationem regulari, actum esse honestum. Quantumcumque enim naturæ conveniat quod intenditur, & ratione reguletur, & actus honestus esse videatur, juxta sanctissimam Augustini doctrinam